

Balthasar Bebel Johannes Georgius Windenius


**Disputatio Theologica De Falsa Theologia Johannaee Contraria : Ex dicto Joh.
XX. v. 31.**

Argentorati: Tidemannus, 1685

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn787615161>

Druck Freier  Zugang






106.

Fa-1092 (106.)

36
35
34
33
32
31
30
29
28
27
26
25
24
23
22
21
20
19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1



XXIII.

I. N. D. N. J. C.
DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
FALSA
THEOLOGIA JO-
HANNÆ CONTRARIA.

Ex dicto Job. XX. v. 31.

QVAM
ASSISTENTE VERITATIS SPIRITU,
PRÆSIDE

*VIRO Maxime Reverendo, Amplissimo atque
Excellentissimo*

DN. BALTHASARE BEBELIO,
SS. Th. D. & PP. Celeberrimo, Ecclesiastæ Vigilantissimo,
& h.t. Univerf. hujus

RECTORE MAGNIFICO,

Fautori, Patrono, Promotore suo, omni honoris atque obser-
vantia cultu prosequendo


PUBLICICE defendet

JOHANNES GEORGIUS WINDENIUS,
Argentoratensis.

Ad Diem Mens. Junij in Aud. Maj. H. S.

ARGENTORATI,

LITERIS JOHANNIS WILHELMI TIDEMANNI.
M. DC. LXXXV.



D
Hic...
is Anno...
orum...
ne pendent...
ma differa...
Christi, fac...
lus & S...
serim res...
que probat...
V. d. VII...
et sequi Joh...
tao, Te...
renu...
aliqui...
Doctores...
notia pro...
tum suam p...
antia B...
sunt, con...
condicibus...
in...
stru...
mo...
miracula...
fianerunt...
hominum...
opas Cat...
hastorum



J. N. D. N. J. C.

DOctissimus Vir, Johannes Launojus, ex Normandia Constantiensis, & Parisiensis Theologus, libellum scripsit *de auctoritate negantis argumenti*, dedicatum Illustri, ut vocat. Abbati, Casari Estræo, quem secundo edidit, & quidem correctionem Parisiis, Anno M DC LXII. in quo probare alloboravit, *negativum argumentum in questionibus, ex facto, usu, & traditione pendentibus, multum habere roboris*: ita enim habet lemma dissertationis: Et negavit, *abnuentes advertere, illud & Christo, sacris auctoribus, Conciliis, optimis Ecclesia tractatoribus, & Scholæ Magistris validum semper visum esse, cum eas præsertim res agitant, quæ in facto, usu, ac traditione consistunt*: Idque probavit argumentis petitis ex *Scriptura Sacra* e.g. Matth. V. 14. VII. 1. 8. X. 38. XXV. 45. Marc. VI. 4. Luc. XIV. 26 XXIV. 35. seqq. Joh. VI. &c. Ex *antiquitate*, ut Justino Martyre, Ireneo, Tertulliano, Firmiliano, Synodo Nicæno, Eusebio Casareensi, Athanasio, Julio I. Synodo Sardicensi Liberio Papa &c. aliis que Synodis, Pontificibus, Patribus, etiam *Scholasticis*, & Doctoribus recentioribus variorum ordinum, quorum testimonia pro sua dissertatione plura, & diserta attulit, ut sententiam suam probaret; defendit etiam adversus cujusdam Joannis Baptistæ Thiers, Carnutensis, exercitationem, sibi oppositam, contendentis, dissertationem istam divinis adversari, codicibus, divinas & Apostolicas traditiones proculcare, insulsiſſimo Præadamitarum errori patrocinari, multa destruere, quæ rara & fixa sunt in Ecclesia Dei, multos è summo cælo cœlites (absit verbo injuria) deturbare, plurima, miracula fabulis adnumerare, quæ communi multorum Christianorum fide comprobantur, plures pias evertere piorum hominum credulitates, plures rejicere sanctorum reliquias, quæ Catholicorum sincera pietas veneratur, plurimas de sanctorum vitis historias apocryphis scriptis adscribere,

A 2

mul-

,,multas deniqve Sanctissimorum, aut doctissimorum Ecclesiæ
,,scriptorum sententias proterere, easqve cæcis in formis ac-
censere. Quæ illius verba ipse recenset Launojus, exerc. p.
186. Neq; tamen hic patitur, ab instituto sese revocari, aut sen-
tentiam suam mutari; Nam defendit, & acriter quidem, nec
ad hanc usqve diem aliter sensibile compertum est.

Et merito quidem. Est enim genus argumenti omni ex-
ceptione majus, præsertim & in rebus credendis; Ne quis ni-
mirum ad fidem divinam admittat, nisi quod fundamentum
suum habeat in verbo Dei, sacris literis comprehenso; vel ad
fidem Ecclesiasticam, aut humanam, nisi quod probare pos-
set auctoritate hominum probatorum, qui literis tale quid
mandarunt, vel certè sensui inseruerunt. Id quod probatum
dabimus de Theologia nostra ex loco Johanneo, c. XX. 31.
Ex quo nuper thesin nostram probavimus, nunc improbari
antithesin, dum occasio nobis subministrata est novæ alicujus
disputationis, exercitii Academici gratia, conscribendæ; Quod
institutum ut Deus secundet Sancti sui Spiritus gratia, est
quod per Jesum Christum oramus.

§. I. *Quicquid non est scriptum, non est fidei principium.*
Est autem aliquid scriptum vel *κατὰ πρότερον*, seu secundum lite-
ram, e.g. Hæc scripta sunt, ut credatis, Jesum esse Christum,
Filius Dei, & ut credentes vitam habetis in nomine ejus. Joh.
XX. 31. quædam vero *κατὰ Δεδοισιν* seu secundum sensum &
sententiam, e.g. Jesum esse Christum, id quod nusquam literarum
Veteris Testamenti extat, collegit autem exinde Apostolus,
cum sub vaticiniis subsumeret, Jesum esse eum, de quo ist-
hæc vera sint, & Prophetæ vaticinia sua intellexissent. Actor.
XVIII. 28. Sic non extabat *scriptum* Exod. III. 6. quod daretur
resurrectio mortuorum, vel immortalitas animæ, & tamen Chri-
stus Matth. XXII. 29. 31. Sadducæos arguebat, quod ignorarent
scripturas, scriptura igitur etiam illa loca vocantur, quæ toti-
dem quidem literis in scriptura non extant, inde tamen per
bonam consequentiam colliguntur. Thesin nostram de utro-
que scripturæ genere intelligimus, nempe, quod fidei divinæ
principium non sit, nisi suam in sacris literis vel literam, vel
sensem habeat. Et quidem sensum intelligimus non tam
remo-

remotum, quam proximum, quorum iste interdum latius sumitur, ut *vix*, & ne *vix* quidem, sensus nomen mereatur, quandoquidem interdum adhuc in controversia sit, an tale quid intelligatur? e.g. quando traditiones de Dionysio Areopagita, de primis Galliarum martyribus, quos ajunt à Petro in Galliam missos esse &c. vellem probare ex litera scripturæ 2. Thef. II. 15. *teneo traditiones*; Neque enim *omnis* traditio in isto loco intelligitur, sed solum *vera*: Quare sensus non est de traditionibus quibusvis, sed Apostolicis, quæ fundamentum habent, & propriè tales sunt.

§. 2. *Fidei principium* non est quidquid non est idoneum, vel datum, ut fidem divinam generet, vel sustentet & conservet. Talia facta principia sunt omnia, quæ *vera* non sunt, nec *prima*, utpote in alia resolvable, nec *immediata*, seu quæ mediū aliquod sunt, vel etiam *nullam*, sed nec causa, ita ut eorum gratia aliquis teneatur credere, vel sentire quod ei proponitur; e.g. Verba Diaboli Matth. IV. 6. ex Ps. XCI. II. non erant fidei principium, quæ generare potuissent fidem in animo Christiani, quia Deus, ex cujus verbo quædam erant de prompta, non ita posuerat, ut Diabolus allegavit, utpote *omissis verbis: in viis tuis*; In quibus vero viis Christus non fuisset, si sese de pinnaculo templi temere præcipitem dedisset. Ita verba Pontificum summorum, & Legislatorum de loco nativitatis Messie non erant principium fidei divinæ, nisi postquam ex scripto verbo Dei ea probassent Matth. II. 4. nempe ex Mich. V. 2. Et nobis hodie sunt principium, quia Matth. II. 4. leguntur.

§. 3. Porro loquimur etiam de *Tempore* hoc nostro, quo codex Biblicus & Canonicus est absolutus. Neque enim jam disputamus, an verbum scriptum fuerit fidei principium, tum, cum codex Biblicus ratione suæ integritatis *nondum* esset absolutus? (De quo forsitan postea decendi locus erit,) sed, an *hodie*, postquam liber iste omnibus suis numeris est absolutus obligati & alligati sumus in rebus fidei ad verbum Dei in S. literis Canonicè scriptum? Id quod affirmamus, dicentes, quidquid Canonicè scriptum est, id credendum, seu fidei principium est; Et quidquid non est canonicum, sive *κατὰ πρῶτον* sive *κατὰ διάνοιαν* scriptum, id nec fidei principium vel generandæ, vel confirmandæ divinum est.

§. 4.

§. 4. *Consequentiam* argumenti inde probamus, quia Johannes dixit: *Hæc scripta sunt, ut credatis.* Hinc inferimus: Ergo si scripta non essent, credenda non essent, fide scilicet divina. & canonicè; Nam de tali fide jam loquimur. Deus jam post canonem absolutum alligavit fidem nostram divinam ad futurum verbum scriptum, ita ut nobis tanquam credendi regula & canon non sequendum sit, nisi quod ipse vel immediate, vel mediate dixit, & verbo suo scripto inseruit: *Probatur ex Heb. I. 5.* dum auctor interrogat: cui unquam Deus dixerit Angelorum quod Filio Dei: *Filius meus es Tu, ego hodie genui Te?* Et rursus: *Pater ejus ero, & ipse mihi Filius?* Quorum istud exstat scriptum Pf. II. 7. hoc 2. Sm. VII. 14. si præter verbum scriptum esset aliquid etiam non scriptum, idque pari pietatis affectu recipiendum, potuisset responderi: *Et si scriptum illud non sit, credendum tamen est ideo, quia traditione non scripta constat. Quod vero non dicitur. Nec credendum est, quia nempe scriptura jam tum erat adæquatam fidei principium, quanto magis ubi absoluta est? Confirmatur ex II. Pet. I. 16. collato cum v. 19. quando Apostolus à credendi principio removet non solum fabulas eruditas, sed & sensus, v. 16. & solum agnoscit tanquam fidei principium verbum Propheticum, in literas relatum v. 19. Quare verbum, in scripturis extans, est principium Unicum, in quod fides nostra resolvitur, & in quo consistit, etsi & alia vera essent: Et si quid tale verbum non est, etiam fidei principium non est, cui nos Deus alligavit. Termini enim sunt convertibiles.*

§. 5. *Dices*, hac ratione sequetur, quod fidei principium non sit, nisi quod Johannes scripsit, quod vero absurdum est. Nam fidei principium est etiam id quod Moses & Propheta scripserunt. 2. Pet. I. 21. Act. XXVI. 22. Resp. Non quidem est fidei principium nisi id quod scriptum est, ut Johannis Evangelium; fidei tamen principium est etiã quod à Johanne scriptum non est, dummodo canonicè scriptum sit. Sola scriptura sacra, hodie saltem, fidei principium est, sed non omne, in scriptura Sacra contentum, solitarium fidei principium est, quia in scriptura sacra de eodem articulo plures habentur sive libri, sive loca. *Oculus sinister videt, quod & dexter, sed dexter*

pro-

propterea non videt, aut superfluous est in videndo: uterque videt, quantum satis est, nec alter eruitur, si ille videt tantum quantum alter; aut non videt sinister, si dexter, & contra. Scripsit Johannes quædam cum reliquis communia, scripsit tamen etiam quædam quæ reliqui non scripserunt, & si quæ præter reliquos scripsit, ea sunt fidei organa, & præterea talis fidei nulla alia sunt argumenta.

§ 6. II. *Quidquid non est scriptum, hodie homini ad justitiam & salutem non est credendum.* Ex eodem priori sequitur. Nam si quod scriptum ideo scriptum est, ut homo fide illud apprehendat justifica, justificetur, & salvetur, E. quidquid non est scriptum, ideo non est scriptum, ut credens per illud justificetur & salvetur, & propterea etiam credendum non est. Logici dicunt, quicumque non vult media, is nec finem per talia media producendum vult; Deus autem tale quid non voluit esse medium ordinarium, & hodiernum, scripturam; dum non iussit scribi; quare nec finem vult, nempe justitiam, & salutem æternam ex una, vel altera parte fidem, per hæc media producendam. Repetimus distinctionem ante datam, scriptum esse aliquid vel *κατὰ ῥητόν*, vel *κατὰ διάνοιαν*, & per consequens, scriptum non esse vel *κατὰ ῥητόν*, vel *κατὰ διάνοιαν*. Et quidem dicta, vel credenda, vel agenda ante scripturam canonicam, non erant scripta *κατὰ ῥητόν* quidem, erant tamen scribenda *κατὰ ῥητόν*, vel certè *κατὰ διάνοιαν*, ubi cæperunt obligare hominem ad fidem, & hujus finem, vitam æternam.

§ 7. III. *Canonicum non fuit vel dictum, vel factum olim, quidquid hodie in libris canonicis scriptura non exstat sive *κατὰ ῥητόν*, sive *κατὰ διάνοιαν* dictum, seu conscriptum.* Ratio sumitur ex dicto Apostolico. Dicit, scripsisse sese, ut credamus ad vitam, E. scripsit ea quæ credenda erant, auctoritate Dei, cujus est obligare ad fidem, & promittere, & dare vitam, quam nemo dare potest nisi ipse: quare, si quid per Prophetas dixit, vel fecit, quod veluit esse credibile, & utile ad salutem, in literas etiam retulit, ut eadem quæ majores crederent, & salvarentur, etiam posterius crederemus, & salvaremur; sin vero in literas referri non curavit, etiam noluit, ut communis omnium fides essent. Act. IV. 12. dicitur, non esse in ullo alio salutem, ne-

que etiam aliud ullum nomen ad salvandum datum, nisi Jesu Christi. Et Act. XV. 11. dicit idem Petrus, credere Christianos, quod sint gratia Jesu Christi salvandi, sicut & Patres. cap. XXVI. 22. asserit Paulus se non predicare, nisi quod Prophetæ & Prophetarum Oceanus futurum prædixissent. Prædicabat autem Jesum Christum, nimirum *κατὰ ἰησοῦν*, & quæcunque isti articulo coherent *κατὰ διάνοιαν*. 1. Cor. II. 10. Hunc articulum capitalem quidquid non sapiebat non spectabat ad materiam in sacras literas referendam.

§. 8. IV. *Quidquid scriptum non est non habet ea requisita quæ Canonico Dei verbo competunt.* Canonicum Dei verbum, in scripturas relatum habet originem à Deo, qui revelavit, & inspiravit, & quidem eo fine, ut dirigeret hominum fidem & mores, prolatum à viris, hoc fine illuminatis, continuit Christum, fidei & salutis nostræ authorem, conservatorem & præcipuam materiam, & ab omnibus salvandis habitum est pro norma credendi, & medio salvandi, conservatum est inter varia pericula & calamitates; Idem clarum, efficax, & perfectum est, & quæ alia talia sunt verbi canonici requisita. Hæc vero non competunt verbo non scripto; Quidquid enim neque *κατὰ ἰησοῦν*, neque *κατὰ διάνοιαν* scriptum est, incertum saltem, imò falsum est, quod à Deo revelatum fuerit, peculiari modo, & ideo quidem, ut esset instar regulæ & normæ credendi, & medii salvandi, & quidem verbis in eo divinitus inspiratis, directis, & adhibitis, ut verbum Dei canonicum esset quidquid illi dicerent, vel scriberent, credendum ab illis qui velent salvari: idque, ut facerent ipsi, & alii crederent verbum, ipsis commissum fuerit nunquam delendum, nunquam & nusquam obscurum, mutilum, imperfectum, vel infirmum in iis locis, quæ ad fidem & mores spectarent. Hæc nusquam verbo non scripto attribuuntur, saltem à Deo & viris fide dignis, sicut tribuuntur verbo scripto & canonico, quare nec credimus, donec sicut illud probatum fuerit.

§. 9. V. *Habeant traditiones quæ ad non scriptæ sive nomen Dei sive nomen & articulum de Christo; non tamen erunt verbum Canonice, juxta quod fides reguletur, vel salus impetretur, donec scripturis inferantur.* Ratio, quia in contentis suis habere possunt utrumque; sed aliunde acceptum, quod prius est illis saltè nobis,

qui

qui ex verbo scripto illud habemus, credimus, & speramus. Quidquid autem aliunde acceptum, non est, etiam primum, atque adeo nec principium, cui credamus, sed credimus ideoque quia idem in verbo Deo deprehendimus, & eo quidem primum, quod, Deo ipso probante, ipsius verbum, & verum est, unde traditionari acceperint, ideo admittendi, quod traditio ipsorum canonum congrua sit; eo modo, quo qui libet liber, vel scriptum orthodoxum, e. g. Augustana Confessio, scripturis congrua est. Habet Enochus de iudicio extremo quædam, quæ nemo crederet ut canonica, nisi Judas Apostolus suæ epistolæ ut canonicae inseruisset. 14. 15. Antequam Apostolus illud suæ epistolæ inseruisset, erat quidem verum, sed non erat canonicum ita ut postea fuit, cum ab apostolo scriptis consecraretur. Vel certe si canonicum fuit, ideo canonicum fuit, quia Deus secum statuerat illud in verbum suum referre.

§. 10. VI. *Principia quædam aliarum religionum pertinent ad non scripta, quare in censum principiorum fidei non admittuntur à nobis.* Habent enim e. g. vel auctoritatem Papæ, vel Ecclesiæ repræsentativæ, vel Synthetici, rationem, Revelationes immediatas, & Angelicas, vel similia pro fidei principiis, quæ tamen fundamentum in scripturis nullum habent, quare tandem ea repudiamus ut principia credendi, quamdiu ostensum non fuerit, congruere ea cum verbo Deo in scripturis revelato. Incerti enim sumus, an Deus per tales homines loquatur & quidem eo fine, ut, si ipsi aliquid ad nos dixerint, quod verbo ipsius non congruit, nos illud pari pietatis affectu veneremur, quo verbum in literas relatum, id quod negamus, quia nusquam scriptum est, & homines ita comparati sunt ut fallant, vel fallantur extra Dei verbum, in rebus præsertim supra captum suum constitutis. Hinc est, quod Epitome nostræ Formulæ Concordiæ scripserit: *Credimus, confitemur, & docemus, unicam regulam, & normam, secundam quam omnia dogmata, omnesque Doctores estimari & judicari oportet, nullam omnino aliam esse, quam Prophetica & Apostolica scripta, cum Veteris tum Novi Testamenti sicut scriptum est (Pl. CXIX.) Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Et Divus Paulus. (Gal. I. 9.) inquit; etiam si Angelus de cælo aliud*

B

pra:

36.
35.
34.
33.
32.
31.

29.
28.
27.

25.
24.

prædicet Evangelium, anathema sit. Reliqua vero (ita addit Epitome) sive Patrum sive Neotericorum scripta, quocumq; veniant nomine sacris literis nequaquam sunt equiparanda, sed universa illis ita subjienda sunt, ut alia ratione non recipiantur, nisi testium loco, qui doceant, quod etiam post Apostolorum tempora in quibus partibus orbis, doctrina ista Prophetarum & Apostolorum sincerior conservata sit. Quæ Epitomæ verba nostram thesin confirmant, & hoc magis, quod etiam testium nomen deroget illis, qui vel quæ ne quidem testantur, quibus in locis doctrina *θεοριστος* pura fit conservata.

§. 11. VII. Verbi Dei, & scripti quidem, nomine veniunt etiam ea, quæ licet totidem verbis in scriptura non legerentur. Leguntur tamen ea ex quibus legitima consequentia possunt deduci. Nam Jesum esse Christum, Dei Filium, salutis nostræ objectum, & principium, totidem quidem verbis & literis in scriptura V. T. non legabatur, ea tamen scripsit Johannes, quia principia in scripturis extabant, & nos hodie ea credimus, etiam si scripta non essent, solum ideo, quia ex scriptis bona consequentia deducuntur. *Media* quidem in organa, per quæ inde deducuntur, sunt *humana*, e.g. grammatica, Logica &c. Id. tamen, quod per media hæc elicitur, *purum Dei Verbum*, & regula fidei est. Se annulus, quem auri faber malleo ferreo cudit aurum est, & manet quidem, etiam si locus, ubi elicit, & malleus aliaque instrumenta non sint aurum. Habet verbum Dei canonicum suam vim & auctoritatem non à ministris, vel instrumentis, sed à Deo, & in semet ipso, & manet Dei verbum, quocumque etiam vel instrumento tractetur, sicut creatura Dei mansit hortus Eden, etiam si ab Adamo coleretur, & colendo in aliam formam externam transmutaretur.

§. 12. VIII. *Fidei justificæ & salvificæ objectum non est Deus persona unus*. Colligitur ex dictis Johannæis, dixit ille, fidem ferri in Dei filium, oportet ergo ferri etiam in patrem, qui Filii Pater est: Pater autem & Filius, proprie sic dicti sunt, ut h. I. Non habemus causam à proprio verborum sensu recedendi; sunt distinctæ inter sese personæ, quare qui verum Deum credere vult, oportet eum credere ut Patrem & Filium; secus qui credit, nempe ut unam personam, ut eum credunt Sabeliani,

liani, Photiniani, Sociniani &c. falsum credit, adeoque non verum Deum, sed phantasma aliquod sibi imaginatur. Probatum i. Joh. II. 22. 23. Joh. V. 23. &c. Antichristus vocatur quisquis Patrem & Filium negat, nec Patrem habet qui filium negat; Neque Patrem honorat quisquis Filium non honorat. Negat Filium, qui ait, Deitatis unam tantum esse personam, & in ea unam tantum personam esse venerandam. Quisquis autem Patrem & Filium negat, nec veneratur, is quantum in sese negat etiam, nec veneratur Deum qui Pater & Filius est.

§. 13. IX. *Existentiam & causas fundamentales vite aeternae credat necesse est, quisquis ad vitam aeternam vult venire, & qui plane nescit, iste eo pervenire non potest.* De utroque constat ex Johanne. Nam scripsit, ut credamus, & credendo veniamus in vitam aeternam; opus ergo est, ut sciamus & credeamus vitam aeternam, quia primus fidei actus est notitia, & quidem eorum, quorum per fidem nos perventuros credimus; Medium ad istum finem perveniendi & Christus redemptor noster, quem iidem oportet nosse, ut per eum tanquam per medium eo pertingamus. Joh. III. 18. vita aeterna adjudicatur illi, qui non credit in nomen unigeniti Dei Filii.

§. 14. X. *Homo salvandus non est, qui nescit se esse peccatorem, & propter peccata indignum aeterna vita, dignum autem morte & aeterna damnatione.* Colligitur inde, quod salvandus teneatur scire, se non sua justitia & innocentia salvatum iri, sed alterius nempe Christi, & Dei gratia; Quare quisquis in ea opinione versatur, se esse justum & innocentem, saltem ab originali peccato is nesciet, agrum se esse, & reum aeternae mortis, & indignum medico, & remissione peccatorum, & sublatione mortis, aliarumque peccati poenarum, id quod tollit fidem, desiderium, preces, spem, & alia salvando necessaria: Innuit hoc Pharisaïs, justitiaris, Christus Joh. IX. 41. cum ait, *si caeci essetis.* i. e. vestram spiritualem caecitatem agnosceretis, peccatum non haberetis, utpote agnitum, & sublatum per serias preces & desideria; Dum vero dicitis, videmus, adeoque caeci spiritualiter non sumus, manet igitur vestrum peccatum, & ejus scilicet stipendium, mors. Idem innuitur Matth. XXI. 31.

dum Christus iisdem ait : Amen dico vobis, publicani & meretrices citius in regnum cœlorum venient quam vos. Lutheri annotatio est : Viel möglicher ist/s/das Huren und Busben selig werden/Deñ hoffärtige Heyligen/ Den jene müssen zuletzt ihre Sünde fühlen &c. diese sterben in ihrer eigenen Heyligkeit/ wo sie nicht wunderbarlich bekehret werden. Quibus verbis B. Vir. causam reddit, cur sanctuli damnentur, nempe ob opinionem vanam suæ sanctitatis. Eodem tendit dictum Christi Luc. V. 31. 32. Validi non opus habent medico, sed infirmi; veni, ut peccatores ad pœnitentiam evocem, & non iustos. Validi & sani sunt quotquot se putant pœnitentia opus non habere, ut putant omnes imaginarii Sancti, illi, ut non vocantur ad pœnitentiam, ita etiam non vocantur ad sanitatem & vitam, quæ est vel gratiæ vel gloriæ.

§. 15. XI. *Gratiam Dei qui negat, & suæ innocentia, Deig, rigorosa & legali justitia confidit, vitam æternam non habebit.* Johannes id innuit, quando ait, nos vitam habere ex fide in filium, adeoq; & in Patrem, cujus filius est, & nos esse filios, qui adoptione, vel filiatione hæreditatem habent, adeoq; ex gratia, quia antequam filii essemus, ex hæredes eramus, quorum nullum meritum est, ut filii vero eo ipso, quod Filii evasimus, habemus. Prolixius explicatur Rom III. 23. 24. seqq. Omnes enim ibi homines sub peccatum, & defectum gloriæ divinæ concludimur, & redigimur sub gratiam Dei, quæ omne nostrum meritum excludit, & includit redemptionem, & justitiã nostri sub meritum Christi, qui nostrum est coram Deo propitiatorium. Et id per fidem, quæ justitiã Dei apprehendat, & nobis applicet. Quare ubi opinio est propriæ innocentia & justitiæ, ibi exulat Dei gratia, & meritum Christi, ipsa fides, & fidei finis vita cum gratiæ tum gloriæ.

§. 16. XII. *Filii Dei personam, naturas, & officium quisquis nescit, vel negat, vel etiam impugnat, incapax est vite æternæ.* Quisquis enim negat personam, negat vel totam, vel aliam ejus loco substituit; si totam negat & nescit, nescit vel negat etiam naturas & opera, quæ fecit, eaque sunt objectum nostræ fidei. quod sic nullum erit; sin vero aliam substituat personam, falsum substituit. Nam Deus gloriam suam non vult alteri dare,

dare, neque honorem suum idolis; Jes. XLII. 8. Si negat vel nescit naturas, iterum vel omnes negat, sic rem ipsam tollit, vel alterutram tantum; si divinam, igitur nesciet, vel negabit opera etiam divinæ virtutis, quale tamen est salvatio; Nam solus Deus principaliter potest salvare; vel humanæ, sic negant satisfactionem, obedientia & activa & passiva pro nobis præstitam; si officium neget, iterum incapax est. Si enim propheticum negat, igitur vel nescit esse Dei verbum, per quod sit salvandus; si sacerdotale, ergo sacrificium vicarium, quod iste fecit nostri loco, & intercessionem pro nobis, ut virtute meriti in gratiam revochemur; si regnum ergo negat vel nescit, per Christum se vivere, in gratia esse, & aliquando fore in gloria; Nam Rex est potentia, gratia, & gloria; consequenter tales sunt, qui nesciunt, vel negant, vel etiam impugnant communionem naturarum, vel communicationem idiomatum. Illi enim negant opera *beavde me*, sine quibus tamen neutrum, quod ad salutem nostram pertinet, præstari potest. Nempe si ve excellentias divinas, si ve infirmitates humanas, easque vicarias. Innuit Petrus Act. IV. 12. cum negat, salutem esse expectandam nisi à Jesu Christo, qui scilicet est persona composita, vel *bechthegon* ☉, ex divina & humana naturis, inter sese personaliter unitis, & communicantibus constans, nec recedit Johannes in dicto citato. Nam fidem iis promittit, qui credunt, Jesum & Christum esse Dei Filium, & nostrum mediatorem, & ejus *nomen*, seu media salutis.

§. 17. XIII. *Spiritus Sancti Deitas, character, & officium periculose, & cum damno salutis vel ignorantur, vel negantur.* Dixit Johannes per *fidem* nos vivere. Fides autem Dei donum est, quod operatur Spiritus Sanctus per verbum: Supponimus autem, verbo Dei carere quisquis Spiritum S. nescit, vel impugnat, unde enim aliunde sciverit, Deum habere spiritum, à se procedentem, & per verbum ad fidem & salutem operosum, nisi ex ipso verbo? Qui autem Spiritum S. nescit, nescit Deitatem, seu Deum verum, qui est Pater Filius & Spiritus Sanctus. Hunc qui nescit, nescit articulum, per quem oportet salvari, & sine quo nemo salvatur. Est enim *albe* ☉, sine Deo & spe in mundo. Eph. II. 12.

§. 18. XIV. *Tres hæ personæ sunt unus Deus verus.* Verum Deum noverit necesse est quisquis salvari vult, nec salutem habet nisi à Deo, eoque vero; Falsus, vel falsi ejus virtutis non sunt; neque apprehendit fides nisi DEUM verum, sicut sese in sua natura, & scriptura revelavit. Id quod Johannes innuit, cum fidem nominat quando causam salutis nominat, & eam in nomen Jesu Christi Filii Dei, quod unicum nomen est, & in se comprehendit etiam Deitatem unicam, quæ est communis Patri, Filio, & Spiritui Sancto. Confirmatur ex Heb. XI. 6. ubi author ait, quod eum, qui ad Deum venire vult, nempe gratia, vel gloria, oporteat credere, quod sit, & quod renumerator futurus sit sese querentium. Hinc sequitur, quod, qui vult salvari oporteat nosse quod ut Deus existit, & agit unicus, ita etiam sit unus & solus Deus. Atque hoc est quod Moses Israëlítico populo dicit Deut. VI. 4. audi Israel, Dominus Deus unicus est. Si audiendum est, & auribus quidem attentis, & devotis, quod Dominus Deus noster unicus sit, E. non salvatur, qui credit multum illum, vel multiplicem esse essentia; Talis enim non est unus, si essentia fuerit completa.

§. 19. XV. *Solus Deus est auctor nostræ salutis.* Patet ex enumeratione causarum nostræ salutis. Commemoratur enim solus Deus, qui est Pater, habens filium, & Filius, qui vocatur Jesus Christus, & nomen habet, per quod salvamur, & uterque Spiritum, qui per verbum & sacramenta nobis Dei gratiam, & filii nomen seu personam & meritum applicat; Et fides in has personas, per quam justificamur & salvamur, quæ vero est unius Dei opus in nobis; Quæ quia omnia Deus vel nomen Dei sunt, ideo solus Deus est salutis nostræ causa. Neque Johannes alii Deo, quam huic, & alii divino medio, quam huic vitam nostram & salutem adscribit.

§. 20. XVI. *Sive mediis Deus neminem ordinariè justificat & salvat.* Media per quæ Deus hominem ordinariè justificat & salvat, sunt in ejus verbo revelata, eo fine, ut homo norit, per quid debeat justificari, & salvari, & sit ἀναπολόγητος; si quæ alia media traderentur, tanquam justificata & salvifica quæ in verbo

verbo Dei fundamentum non habent, incerti essemus, an Deus, qui solus justificare & salvare potest, ista media probet, & usurpare velit in prouranda nostra salute? Quo incerto, incertum est esse fidem, & quidquid ex fide provenire oportet, nempe salutem. Innuitur in præsentem lemmate, dum Johannes salutem promittit iis, qui credunt, quæ fides est medium salutis, natum ex verbo Dei, tanquam ex semine, quale certo hodie in sola scriptura sacra habemus, si quis igitur sine fide vellet habere animæ salutem, non salvaretur, quia sine fide impossibile est Deo placere. Heb. XI, 6.

§. 21. XVII. *Pœnitentia includit fidem, quæ constat notitia, essensu atque fiducia.* Colligitur ex collatione effectus pœnitentiæ & fidei. Pœnitentiæ adscribitur salus æterna. 2. Petr. III. 9. & remissio peccatorum. Act. V. 31. & fructus. Math. III. 8. Eadem adscribuntur & fidei, nempe vita, ut gloriæ Joh. XX. 31. ita & gratiæ; Hab. II. 4. & remissio peccatorum Math. IX. 2. & fructus bonorum operum. Gal. V. 6. Aut igitur effectus hi pœnitentiæ adscribuntur distributive, secundum utrumque; actum, aut secundum alterutrum tantum; non secundum utrumque; sic enim etiam contritioni adscriberetur, cujus vero Johannes non meminit; Nec enim meminit contritionis; igitur secundum unum tantum, qui est fides, cujus etiam Johannes meminit. Pœnitentia igitur operatur remissionem peccatorum per solam fidem, quæ pœnitentiæ pars est. Marc. I. 15. innuitur idem quando pœnitentiæ adjungitur fides.

§. 22. XVIII. *Sacramenta quæ fidem non generant, vel confirmant, eamque in Jesum Christum, Dei Filium, nostrum Redemptorem, & Salvatorem, non sunt organa salutis.* Ea est sacramentorum natura, ut gratiam Evangelicam nobis annuncient, offerant, & confirmant, eo sine, ut per illa fides generetur, vel confirmetur, id quod in præced. disp. demonstratum supponimus. Ex quo contrarium sequitur, nempe, si quæ cæremonia hoc non præstat, vel præstare intendit, nam ex numero sacramentorum non esse. Prius innuit Johannes, cum ait, nos per fidem habere vitam æternam; quidquid igitur nobis fidem non dat vel confirmat, id nec fides est. Et porro, quidquid nobis non dat vel fidem, vel fidei finem, id nec sacramentum est. Nempe

pe

pe desitutum sine suo, effectu & efficacia. Tales autem sunt omnes caeremonia & actiones, quæ in scripturis fundamentum non habent, vel certe eo sine institutæ non sunt divinitus, ut gratiam Dei, & alia fidei ob jectæ annunciant, offerant conferant & confirmant. Neque potest fides certa esse, tales esse eas caeremonias, quippe quæ hodie ex verbo Dei scripto non possunt demonstrari, quare nec utetur iis eo fine, ut ipsam confirmant, excitent, & suffulciant. Math. XV. 9. asserit Christus, frustra se coli mandatis hominum, ut sunt omnia quæ in scripturis fundamentum non habent, nedum ea quæ ipsi adversantur.

§. 23. XIX. *Nullum sive verbum, sive opus quod Dei non est, vocat & convertit hominum peccatorem.* Dei esse verbum aliquod vel opus, scio, non ex natura, sed ex scriptura; Loquor autem de aliquo ejus sive verbo sive opere supernaturali, ut sunt ea, quæ ex Dei voluntate ad nostram salutem ordinantur. Tale esse aliquod sive verbum, sive opus non scio, saltem non certo & liquido, nisi ex ipso, ipse autem ordinariè hodiè revelat non nisi aliquo verbo, quod in S. literas relatum est; Quare nisi in S. literas relatum sit, me non facit certum, quod Dei sit opus, vel verbum; Et si hoc nescio, etiam nescio, Deum me per tale verbum, vel opus evocare ab Ecclesia falsa, vel errore ad meliorem sive Ecclesiam, sive sententiam, eo fine, ut ipsi paream, & ad meliora me convertam. Nempe, per Johannem, fides vivifica debet habere aliquod verbum scriptum à viro θεοπνεύτω, ut possit vivificare, & illa fides debet nitri nomine Jesu, quod sit Christus, & Dei Filius, & noster mediator, & suo nos nomine salvet. Tale vero verbum vel opus non est aliud nisi revelatum, & in scripturis quidem, quibus Christus sui notitiam alligavit Joh. V. 39. Si quid autem scriptum non est, illi non inseruit hanc sui notitiam, consequenter hominis vocationem, conversionem, & salutem.

§. 24. XX. *Homo non justificatur nisi per id quod in verbo Dei revelatum est, nempe per fidem in Jesum Christum, eamque solam.* Quod homo justificetur per fidem in Jesum Christum, alibi ostensum est. Hoc vero non exstat in ullo verbo non scripto, sed eo quod scripto congruum est. Neque enim res est rationis,

nis, sed constat ex sola revelatione; De revelatione autem hodie fundamentaliter certi non sumus, nisi ex verbo ejus, qui revelatus est, nempe Dei. Nuspiam autem Deus nobis revelavit, quod nos velit per fidem justificare, & quidem per fidem in Christum, nisi in sua scriptura. Si quid autem tale alibi exstat, id ex verbo per scripturam revelato manavit, & eo referendum est, si quam mereri debet fidem, aut hominem certum reddere, quod in sua fide Deo placeat, per illam impetret remissionem poenarum, & imputationem justitiæ Christi, ut per ista justificetur & salvetur. Non opus fuisset, Johannem talia in literas referre, si aliunde, quam ex literis, ordinariè de eo constitisset. Adde quod *solius fidei* meminerit, excludit igitur à mediis salutis ex parte nostri quidquid fides non est.

§. 25. XXI. *Bona opera hominem neq; ad justitiam, neque ad vitam adducere possunt, multò minus adducunt.* Ratio eadem est, nempe quia solius fidei inter organa salutis mentio facta est, opera autem bona non sunt fides; Nam ipsi opponuntur. Rom. IV. 5. quare per opera non datur sive fides, sive fidei finis, vita aeterna. Sunt opera bona alia ante, alia post justificationem facta, ut quidem nonnulli, sed admodum improprie, solent distinguere. Non loquimur autem nunc de operibus irrogenitorum, quæ ante justificationem fiunt, quippe quæ ne quidem bona opera sunt; sed loquimur de iis quæ post justificationem, sive priorem sive posteriorem intelligas fiunt; de omnibus dicimus, quod neq; ad justitiam, neque ad gloriam hominem adducant. Nam si post justificationem fiant, homo jam justificatus est; si ante, opera nihil contulerunt, utpote post festum facta. Sin dicas, nihil quidem contulisse ad justificationem priorem, tamen ad posteriorem; respondeo, ne quidem ad hanc contulisse. Nam qui vitam obtinet justificatus est per justificationem posteriorem, ut Abraham, & tamen talis justificatus est per solam fidem; Nam solius mentionem facit Johannes, cum describit causas ejus qui ad vitam pervenire vult. Secus si esset, Paulus (ut rem porro illustremus) non proposuisset exemplum Abrahami justificati; Nam hic justificatus jam justificatione secunda erat, tamen

C

per

per solam fidem, & non per opera legis, justificatus est. Rom. IV. 2. Novi exceptionem, quod justificatus fuerit non quidem per opera legis, attamen per opera *Evangelii*, per meritum non *proprium*, sed ex Christi merito *derivatum*. Sed distinctiones hæc ipsæ se jugulant; si enim non sunt opera legis, etiam opera non sunt, quippe quod opera omnia sint legis tanquam normæ, & opponuntur fidei, quippe quod nulla opera sint, fides, & si Christus suo opere nos redemit, opus non erit, ut nos quoque inter redemptores essemus, & Christus suo merito nostris operibus illud acquireret.

§. 26. XXII. *Bona opera non conservant hominis vitam, sed fides.* Patet ex Johanneo dicto. Nam fidem habentibus promittit vitam; jam vero bona opera non sunt fides, ut antea ostensum, quare nec vitam ipsis promittit, sed soli fidei. Nimirum sunt *fructus* fidei, quæ instar arboris est. Sicut autem fructus non conservant arborem, sed potius ab ipsa conservantur, ita sine fide impossibile est Deo placere. Heb. XI. 6. Nam sine fide quod contingit peccatum est. Rom. XIV. 23. Id quod de Bonis operibus dici nequit, hoc quidem sensu. Non enim faciunt, ut Deo placeamus, sed fiunt ab illis qui jam ante Deo placent, nec placerent Deo nisi jam ante persona Deo placeret, eaque propter Christum, qui Filius est Dei, in quo beneplacitum est ipsi. Matth. III. 17. XVII. 5. si igitur bona opera non conservant fidem, etiam non conservant ejus vitam, quippe quæ solius fidei fructus est. Logici & Metaphysici dicunt: Causa causæ est etiam causa causati; Ex quo contrarium sequitur: Quidquid non est causa causæ, etiam causa causati non est, subsumo: Opera bona non sunt causa fidei E. nec vitæ. Et licet mala opera destruant fidem, & consequenter vitam; Attamen bona hanc non æque conservant, quia nec istam conservant.

§. 27. XXIII. *Homo non justificatur justitia infusione.* Probatur ex Johanne, cum ait, hominem vivificari per fidem, ex verbo conceptam, quando applicat sibi ceu credenti Christi personam, officium, & meritum. Hæc vero est justitia, non propria, sed aliena, nempe non credentis, sed Christi, quippe quod à Christo præstita sit. In homine justificando non

non invenit Deus justitiam propriam, quia legem hic non implet, invenit autem in Christo, qui legem nostri gratia implevit, imputat ergo homini justitiam, quam homo non præstitit, sed Deus ipse, seu Dei Filius, qui nobis à Deo facta est justitia. & fidei manu apprehenditur. Hæc autem Christi justitia non infunditur nobis manet enim in Christo; Et tamen per eam justificamur, quare justificamur non justitiæ infusione, sed imputatione.

§. 28. XXIV. *Ecclesie genuina membra non sunt infideles.* Ratio, quia non sunt salvabiles voluntate Dei consequente. Hac voluntate non sunt salvabiles nisi credentes. Quisquis enim non crediderit condemnabitur. Marc. XVI. 16. Qui vero non credunt non sunt genuina Ecclesie membra. Quæ coacervare solent ad versarii, cum contendunt, extra Ecclesiam non dari salutem, Ecclesiam semper esse infallibilem. &c.

§. 29. XXV. *Genuina Ecclesie nota est verbum Dei.* Probatur, quia salvandorum est fides, fides autem nascitur ex verbo Dei scripto; Igitur verbum scriptum, quod in aliquo cœtu est, prædicatur, auditur, legitur, id testatur, in tali cœtu esse homines salvabiles, & salvandos, quales sunt in sola vera Ecclesia. Probatur illud ex Jes. LV. 10. LIX. 21. ubi comparatio fit inter imbrem, nivem, & verbum DEI prædicatum, auditum, lectum. Sicut enim illa humiditas non redit vacua, sed terram humectat, & sæcundat; Ita nec vis verbi divini prædicati vel lecti; quare, ubi verbi divini fructus apparet, indicio est, quod ipsum Dei verbum adsit. Nam posito effectu ponitur causa.

§. 30. XXVI. *Ecclesia vera non est visibilis.* Ratio, quia veritas Ecclesie genuinæ, quæ est fides, invisibilis est. Fides autem est notitia, assensus, atque fiducia in verbo Dei fundata, & in cordibus radicata, quæ vero corda nullus sensus explorare potest, sed solus Deus; quare solus quoque Deus veram Ecclesiam novit, nullus autem sensus. Videntur quidem homines, ex quibus vera Ecclesia constat, quippe corporei; sentiuntur etiam illa quæ illi faciunt, vel loquuntur; Nam plerumque in sensus incurrunt. An vero ea sint credentium, piorum, & justorum; num contra, incredulorum,

36
35
34
33
32
29
28
27
25
24

impiorum, in justorum, & hypocritarum? soli Deo notum est, nulli creaturæ: Unde in Symbolo dicimus: *Credo Ecclesiam.* Nec scivit Elias 7000 hominum fidelium superesse, qui genua sua non incurvarint coram Baale, ut non incurvant quotquot genuina Ecclesia membra sunt.

§. 31. XXVII. *Vera Ecclesia non est absolute infallibilis.* Probatum iterum ex fide, verbo scripto subordinata. Si quis enim sectetur verbum, scriptis revelatum, salvabitur quidem, sed propter seu per verbum, quod sequitur, per fidem, qua vitam apprehendit; sed non salvabitur simpliciter: Quid enim, si verbum scriptum non sequeretur? Tum vero nec infallibiliter salvaretur. Psal. XIX. 8. dicitur testimonium Dei, quod est Dei, verbum, esse certum, & simplices erudire, nempe in voluntate Dei, qui revelavit, & mercedem æternæ vitæ gratiosæ promisit v. 12. Psal. CXIX. 244. idem petit à Deo ex verbo ipsius iusto erudiri, ut vivere possit. Nisi igitur erudiatur, ad vitam se perventurum desperat, si erudiatur, & se perventurum credit cum Petro Joh. VI. 54. 63. 68.

§. 32. XXVIII. *Unio mystica non est penes destitutos vera fide.* Fides est vinculum, quo Deus & homines invicem uniuntur & vivunt. Gal. II. 20. Illa autem fides nascitur ex verbo Dei. Joh. XIV. 23. Quare ubi verbum Dei non est, vera quoque fides non est; & ubi hæc non est, etiam unio Dei & fidelium mystica non est. Non salvatur nisi ille qui prius cum Deo fuerit mystice unitus; Tales vero non sunt, nisi fideles; Quare si quis fideles non est, etiam cum DEO non est unitus, & si hoc non est, etiam salvabilis non est Col. I. 23. Paulus vitam æternam promittit credentibus, & credendo amplectentibus Christum, in quo habitabat omnis plenitudo deitatis & propitiatorium erat cæli cum terra, in hac fide volebat ipsos manere, si vellent his beneficiis frui.

§. 33. XXIX. *Purgatorium, seu tertius inter cælum & infernum locus, non congruit verbo Dei revelato.* Patet ex Johanne. Johannes scripsit, & credentibus in illud verbum Dei scriptum promittit vitam æternam; De purgatorio autem nihil scripsit quare ignis ille verbo Johannis scripto non est consentaneus: Adeoque nec fides in illum ex illo Evangelio scripto concipi potest. Imo fides adversus illum ignem inde potest

est

est concipi. Nam vitam promittit credentibus illi suo verbo; Adeoque etiam credentibus, dari nullum purgatorium illorum, qui in fide discesserunt ut discedunt omnes, per Pontificios, qui in purgatorio collocantur. Neque Johannes quicquam scripsit quod reliquis Spiritus Sancti amanuensibus adverteretur, ut adversaretur, si scripsisset, credentium neminem damnari, sed habere vitam æternam; illi autem scripsissent, quosdam non habituros, saltem statim, vitam æternam.

§. 34. XXX. Neque licet excipere, Johannem vitam æternam promittere omnibus quidem credentibus, sed tum demum, quando igne purgatorio fuerint defuncti. Nam de igne hoc nullam sive hic, sive alibi, fecit mentionem, sed omni credenti, quamprimum desierit esse credens, vitam æternam statim promittit. De intermedio aliquo tempore vel loco mentionem facit nullam, quare nec nos faciamus, tacente scriptura.

§. 35. XXXI. *Salvatorum vita nullam habebit finem.* Pateat ex Johanne, cum credentibus, qui salvandi sunt, & perseverantes, olim salvabuntur, promittitur vitam, neque limitationem addit, quod vita ista finem habitura sit. Credimus igitur, quod & *æterna* vita sit. Neque obstat, quod promissa ista vita intelligi possit etiam de vita gratiæ, quæ vero finem habitura sit. Nam vita gratiæ finem quidem habitura est, ut spectat ad regnum gratiæ, quod per verbum & sacramenta administratur. 1. Cor. XIII. 12. XV. 24. Sed in illa gratiæ vita contingit prægustus vitæ æternæ, & in eodem accipimus pignora æterni regni. 2. Cor. V. Eph. I. 14.

§. 36. XXXII. *Non credentes non salvantur ideo, quia desuntur fide, & consequens, Christo, unica salutis causa.* Sequitur ex verbis Johannis. Si enim credentes, qui Christi nomen apprehendunt, salvantur; Igitur, non credentes, qui Jesu nomen non amplectuntur, condemnantur. Confirmatur ex verbis Christi, ab eodem Johanne annotatis, cap. III. 18. ubi Christus ait, qui in Filium Dei credit, eum non judicatum, seu condemnatum iri; quisquis vero non crediderit, jam judicatum esse, eo quod non credat in nomen Filii unigeniti, salvatoris nimirum & mediatoris nostri unici.

§. 37. XXXIII. *Mors damnatorum est æterna.* Vitæ opponitur

36
35
34
33
29
28
27
25
24

niur mors, vita est salvandorum & salvatorum; Mors igitur est damnatorum & damnandorum, & ista vita est eterna, quare hæc est etiam eterna; semper morientur, & nunquam emorientur. Pſal. XLIX. 15.

§. 38. XXXIV. *Sicut salvandi fruuntur Spiritualibus omnis generis delictis, ita damnati omnis generis adversitatibus.* Ut vita, sicut & pax, & panis quotidianus, significant omnia hominigrata, & proficua, ita, viceversa mors, sicut & bellum, & penuria, denotant omnis generis mala & adversitates. Quare, ut credentibus & salvatis adscribitur vita ita damnatis adscribitur mors, & his omnis generis adversitates, cum positivæ, tum negativæ; sicut istis adscribitur quæcunque felicitas sive corporis, sive animæ, sive utriusque. Confirmatur ex Rom. VI. 23. ubi, peccati stipendium vocatur mors, sicut vita eterna charisma divinum, quod expectamus in Christo Jesu. Amen!

§. 39. XXXV. *Sicut salvandi fruuntur Spiritualibus omnis generis delictis, ita damnati omnis generis adversitatibus.*

SI quod dogma Tibi, vel opus, laudatur, ut illud
Credas divinâ perficias ve fide,
Consule Scripturam Sacram, quid litera dicat
Ejus, vel sensus, quem tenet illa, ferat:
Sineque vox ejus, neque sensus id asserat, esse
Divinum, noli credere, vel facere.
Sed neque justitiam tibi pollicearis ab illo,
Nec coeli vitam quæ sine fine manet.
Id quod confirmat nostri divina Johannis
Penna, docens, fidei quod sit, Amice, τέλει!

Præses.

Dog.

Dogmatibus diversa piis, quæ Sanctus Iannes
 Retulit, in thesibus sunt reprobata Tuis
 Dogmata, Windeni; falsis discernere Vera
 Cui studium & solers pectore cura sedet.
 Perge per has artes animum ad majora parare;
 Perge Tuum in Patrem filius esse pius;
 Sic utrinque feres & quæ promissa labori
 Præmia sunt, & quæ vota Parentis habent.

boni ominis & Voti causa f.

Joh. Christophorus
 Artopæus. Eloq. P.P.

Pereximio Dn. Respondenti.

Non thalami laudesve Ducum, Regum ve tiaræ,
 Aut resonant chartis busta superba tuis;
 Non bellatrices aqvilæ, captivaqve bello
 Oppida, nec victo carbasa capta mari;
 Pectus, AMICE, tuumpia sed meditatio versat
 Æterni sobolis facta stupenda Dei.
 Quatuor illa Virum quæ scripserat enthea dextra,
 Quo nostra in cœlis rura beata forent.
 Disperant, quoscunq; fecus sentire movebunt
 Dogmata, non CHRISTI voce profecta, mali.
 Et sacer iste labor, benè si defenderis, addet,
 WINDENI, laudes laudibus usqve Tuis;
 Nomina nec tantum, sed gaudia mille Parenti,
 Atqve Bono paries juba mille Seni.

Ita festinante calamo applaudare voluit

M. Jo. Carolus Schœttelius
 P. L. in Gymn. Pat. Poës. Præc.
 Præc.

36
 35
 34
 33
 29
 28
 27
 25
 24

Præcell. atqve Erudiff. DNE. DISPUTANS.
Fautor & Amice honorande,
Amande!

CArmina, quæ pofcis, non do, tamen accipe votum.
Id, quod fufcipies, cedat feliciter, opto.


M. Israël Dieterlin.
Sept. Gymn. Patr. Pr.


HActenus immoto quæ sunt pede credita stare
Hæreticis, noſtra ut dogmata fana cadant;
Hæc Tuus in facris ſtudiis tam ſedulus ardor
Sacra θεοπνεύματος ſcripta negare docet.
Quod, quam defendis, quæ Theologia Iohannis
Melliſſuo e Chriſti prodiit ore, probat.
Hac ſalvos facies, hac ſalvus es ipſe futurus,
Hac tantum verus credere Theologus.


*Præclaris Erudit. DN. Respondentis conatibus
Theologicis gradulabundus applaudit*

M. Joh. Fridericus Geiger.

F I N I S.









(15)

prærepta fuerunt, denuò sibi vendicarunt, ita
pastoribus, sine autoritate & consensu Ma-
enquam, ut loquuntur, copulare. Liberum
et relinquitur, vel à solo Magistratu, vel à
esente Magistratu & potestatem dante, co-

ique summus Scopus Magistratus est, non se-
ous Ecclesiasticis, sed res ad fidem spectantes
& arbitrio cujusque committere: ideò in sa-
piunt quicquam neque prohibent, sed solum
ciplinam tuentur, ne quis blasphemias &
ublicè exerceat, aut Remp. perturbet. Qui-
Jesum Christum secundùm Scripturas pro-
& absque scandalo pacificè se gerunt, illi
onibus discrepent, ac errores suos habeant,
atur, & ut se mutuò quoque tolerant, ad-

imis conantur *Presbyterianos & Independentes*
cem & tolerantiam adducere, eo præcipuè
quòd cum *utrique Orthodoxam fidem profiteantur,*
propter solum diversum Ecclesiæ regimen collidi-
formatas trans mare Ecclesias ad eandem for-
quasdam adductius, remissius alias regi. Ne-
t pacembrevi coituram, utrisque multum
vore & obstinacia quotidie remittentibus,
nque erroribus suis, ad modestiam pronis.

De

